

2935

C O D I C E S

2936

in edit. *Opp. Job. Gersonii*, qui inter Delegatos fuit, reperio, ut adeo et inedita esse conjiciam, et sine caruisse, cum Reformatores a Concilio nominatos non usque ad res *Ordinum mendicantium* progressos fuisse autumem.

DCCCX.

359 Codex membranaceus lat. Sec. XI. Folior. 73. f. bene scriptus, rubricisque distinctus est *Benedictionale* constans *Capitibus* XLI. quorum Tituli sequuntur: *De scrutinio. De Baptismo. De confirmatione. De bened. ignis in cena domini. De reconciliatione penitentium. De ordine in cena domini. De bened. ignis. De bened. agni in pascha. De dedicatione ecclesie. De bened. corporalis. De bened. lintaminum vasorum aliorumque instrumentorum ecclesie. De bened. uestimentorum sacerdotalium. De bened. albarum planetarum stolarum cingulorum. De bened. eucharistialis uasculi. De bened. pateng. De bened. calicis. De bened. crucis. De bened. crucis metallizatę. De bened. thuribuli. De bened. incensi et thimiamatis. De bened. capsarum. De bened. ciborii. De bened. tabule itinerarie. De bened. baptisterii. De bened. campanę. De bened. sacrorum ordinum. De bened. sacrarum uirginum. De bened. uestimentorum earundem. De bened. sacri uelaminis. De bened. uirginumque conuertuntur. De bened. uiduarum castitatem profitentium. De bened. uestimentorum earundem. De bened. abbatissę canonicam profiten-*

*tis regulam. De bened. abbatissę monachicam regulam profit. De bened. abbatis. De bened. clerici faciendi. De bened. maiori aque et salis. De bened. minori salis et aque. De ordine in purificatione. De ordine palmarum. Ordo pro morientibus et mortuis. Quibus accedit Ordo ad unguendum Infirmum. Rubrica C. I. sic incipit: Sabbato Sancto Paschae ueniant ad ecclesiam qui baptizandi sunt cum patrinis et matrinis &c. Sequitur Exorcismus: Nec te latet satanas imminere tibi penas &c. Ordinem hunc inuenio e *Cod. Calensi* 800. circiter annorum editum ab *Edm. Martene T. I. de ant. Eccl. Ritib. Antwerp. 1736. L. I. c. 1. col. 190. f.* Atque ita et reliqua *Cod. nostri* cum per vastum hoc opus, tum per *Liturgiam vet. Romanam* a *Muratorio*, *Gallicanam* a *Mabillonio* et *Alemannicam* a *Mart. Gerberto* editam sparsa leguntur. Ad Ecclesiam aliquam e posterioribus pertinuisse suadent nomina Sanctorum, quae fol. 15. p. 2. in *Litaniis* recitantur, puta: *cbiliani cum sociis, Galli, Ruodperti, Corbiniani, Uualdpurgis, Radegundis* et *Erintrudis*, neque fortassis a vero aberit, qui *Salisburgensi* tribuet, motus hac oratione pro Defunctis, quae extat fol. 71. *Adiuua nos domine deus noster. beati ruodperti confessoris tui. omniumque sanctorum tuorum precibus exoratus. et animas famulorum famularumque tuarum omnium in christo. et in circuitu huius ecclesie quiescentium. in beatitudine sempiternę lucis constitue. Per &c.**

DCCCXI.